



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XIII. De bonis operibus, & eorundem merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

bus labefactare conantur , usque a-
deo cæci sunt ; ut ne ista quidem va-
na atque sacrilega , propria volunta-
te se dicere intelligant.

Item lib. 5. de civitate Dei c. 10,
Quocirca nullo modo cogimur , aut
retentâ præscientiâ Dei tollere vo-
luntatis arbitrium ; aut retento vo-
luntatis arbitrio , Deum , quod ne-
fas est , negare præscium futurorum :
sed utrumque amplectimur , utrum-
que fideliter & veraciter confitemur.

X I I I.

De bonis operibus , & eorun-
dem merito.

S. Cyprianus de unit. Eccles. Justi-
tiâ opus est , ut promereri quis pos-
sit Deum : præceptis ejus & moni-
tis obtemperandum est , ut accipiant
merita nostra mercedem

S. Chrysostomus conc. 4. de Lazaro. Si
justus est Deus , & his & illis reddet
pro meritis. Quòd si & his & illis re-
pendet pro meritis : hìc verò nullus

eorum recepit, neque ille improbitatis
pœnam, neque hic virtutis præmia;
perspicuum est, restare tempus aliud,
in quo congruens præmium horum
uterque ferat.

S. Basilius Orat. sup. princ. proverb.
Omnes, qui vitam Evangelicam incedimus,
mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem
cælestium comparantes.

*S. Gregorius Nazianzenus Orat. in
Bapt.* Crede resurrectionem, iudici-
um, mercedem, ad justam lancem
exigendam.

S. Augustinus de grat. & lib. arbit.
c. 9. Nunquid non corona bonis o-
peribus redditur? Sed quia ipsa bona
opera ille in nobis operatur, de quo
dictum est: Deus est enim, qui ope-
ratur in nobis & velle & operari,
pro bona voluntate; ideo dixit Psal-
mus: coronat te in miseratione &
misericordia, quia ejus miseratione
bona operamur, quibus corona red-
ditur.

Item

Item serm. 3. de verbis Domini. O magna bonitas Dei ! cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote setvi Domino, famuli Deo, subjecti potenti, mancipia redemptori; amicitiarum nobis præmia repromittit, ut à nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.

Item in Psal. 38. Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo: non ei dicitur, redde, quod accepisti; sed redde, quod promisisti.

X I V.

Quod sola fides non justificet
sine bonis operibus.

S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephesios. Principium vitæ est fides, finis vero ejus dilectio. Ambæ autem simul junctæ, & in unitate factæ, hominem Dei perficiunt.

Origenes lib. 2. in epist. ad Roman. Quia & fides sine operibus mortua dicitur, & ex operibus sine fide nemo apud Deum justificatur. S.